

teno la copia dil capitolo fatto a Roma di le trieve per do mexi, con la sottoserition voleno i facesse in termine di tre zorni. El qual Duchia non volse, et ha scritto a Roma al cavalier Landriano suo orator parli al Papa di questo, scusando se non ha sotto-
scritto, *ut in ea*.

396

†

Carolus divina favente clementia electus Romanorum Imperator semper augustus, ac Germaniae Hispaniarum, utriusque Siciliae, Hierusalem etc. rex.

Illustris Dux, sincere nobis dilecte.

Cum praeter commune illud hominibus ingeneratum procreandae sobolis desiderium ut filios animi et corporis sint ymagines expressas, et quo ad ejus fieri possit quam simillimas post se relinquant, multae et gravissimae causae nos impulerint ut dominam Elisabeth Lusitanorum regis sororem natu maximam stabili ac proprio coniugio nobis adiungendam duxerimus, sintque brevi quod felix, faustum, fortunatumque sit, futurae nuptiae, pro fideli quae inter nos intercedit amicitia, et singulari qua te tuamque Rempubicam complectimur benivolentia, opere praecium nobis visum est te de ea re, per Ferdinandum leium familiarem nostrum qui has litteras attulit, facere certiore. Neque enim dubitamus huiusmodi nuncium tibi tuaeque Reipublicae fore quam gratissimum, et quemadmodum caeteras prosperitates nostras semper iucundas habuisti. Item in praesentia nostra haec gaudia solide gavisurum, cum sperandum sit has nuptias non solum nobis iucunditatis futuras, verum etiam universae Reipublicae christianae plurimum utilitatis allaturas. Nam ut omittamus sponsae nostrae genus, quod quidem clarissimum est et perquam illustrem, ea est prudentia et morum sanctitate praedita, ut eam dignam iudicemus cui regnorum nostrorum cura atque administratio non iniuria possit commendari, si qua occasio tulerit, aut necessitas adegerit nos ab his regionibus se vocari ad inferendum christianae religionis hostibus bellum aut ad illatum propulsandum; ad quam expeditionem cum semper ultro fuerimus incitati, tum assiduae bonorum omnium voces et oppressorum populorum calamitates nos adhortantur. Quin etiam eadem sponsa nostra est religione ac pietate ut ab egregiis huiusmodi facinoribus non solum non sit nos dehortatura verum potius impulsura, cum intelligamus eam semper

honestam meditantem, et praeclara cupientem. Sed praeter eius animi dotes coeterasque virtutes, quae nostrum animum eidem plurimum devixere accessit etiam populorum nostrorum Hispaniae unanimis consensus, qui frequenti postulatione ac flagitatione a nobis contenderunt, ut hanc eandem nobis coniungem cooptaremus. Videbant quippe nullam aliam nostris nuptiis hoc tempore aptiorem, cum perpaucae admodum reperirentur ex christianis regibus progenitae, quae quidem aetati nostrae congruerent, essentque viro maturae, quarum maturitas si fuisset expectanda non mediocriter timebant se aut nullos de nobis, aut certe seros successores habituros. Cum autem intelligant tyrannum Asiae perenne nostrae religionis inimicum, post captam Rhodiorum insulam christianorum cervicibus imminere, vereanturque nos opinione celerius ad opprimendam eius audaciam ac importunitatem a se digressuros, nulla alia ratione se absentiam nostram aequo animo perferre posse confidunt, nisi intellexerint coniugem nostram cum aliquo nostri sanguinis pignore Hispaniarum administrationi praefuturam, quae prudentia et aequitate sua hanc regionem tranquilla pace tueatur. His igitur et aliis de causis, quas explicare longum esset, connubium hoc non solum utile iudicamus, verum etiam omnino necessarium. Proinde aspirante Deo Optimo Maximo, et eius genitrice pronuba sanctissimas nuptias ritae celebravimus, omnibus votis supplicabimus, ut ex hoc coniugio procreentur liberi qui nobis sint iocunditati et rei christianae emolumento, te tuamque Rempubicam eadem qua nos complectimur benivolentia prosequantur.

Datae in urbe nostra Toletana, die ultima mensis Novembris, anno millesimo quingentesimo vigesimo quinto, regnorumque nostrorum Romani septimo, aliorum vero omnium decimo.

(Et est in papiro)

.
.
.

JOHANNES ALEMANUS secretarius.

A tergo: Illustri sincere nobis dilecto Andreae Gritti duci Venetiarum.

Fo letto la lettera de l'Imperador, scrive a la Signoria nostra, latina, molto longa, da Toledo, di 30 Novembre, zerca le noze, portata per quel Fernando Hizio. La copia è qui avanti.